

† R. P. Alphonsus Paris (1845-1930).

(Vice-Prov. Chilenae).

R. P. Alphonsus Paris, quem Vice-Provinciae patriarcham appellabamus, ita nos celebrandis variis suis iubilaeis assuefecerat, ut etiam adamantino sacerdotii iubilao nos laetos hoc a. 1931 assistere posse speraremus. Verum non ita fuerat voluntas in caelo, et die 8 superioris mensis

Novembris nobis ereptus est carus ille senex, testis temporum diu elapsorum, ad recipiendam mercedem longissimae vitae in servitio SS. Redemptoris et Congregationis transactae.

Natus erat d. 21 Mart. 1845 in Bergheim, quod est Alsatiae oppidulum, multorum Redemptoristarum incunabula, ex piis coniugibus Paris-Scherrer, qui suorum tredecim liberorum quattuor Deo sacerdotes obtulerunt, et horum duos, Alphonsum et Iulium, simul filios S. Alphonsi. Alphonsus, cum puer ad statum ecclesiasticum se vocatum intellexisset,

linguae Latinae elementa in domo parochi sui didicit, quae studia dein continuavit in collegio S. Hippolyti. Ibi per nostrum P. Michaelm Neubert, item ex Bergheim oriundum (1805-1882) (1), ad Institutum Alphonsianum electus est, et die festo S. Fundatoris 1862, tum adolescentulus annorum 17, S. Nicolai de Portu novitiatum intravit. Tum temporis R. P. Franciscus Lorthioit (1832-1875) novitiorum Magister erat (2) et Pl. R. P. Franc. X. Masson (1820-1902) Superior Provinciae Gallico-Helveticae (3). Quae novitius noster tunc scriptis mandavit praecepta et consilia Magistri atque proposita salutaria, ea per totam vitam fidelissime custodivit.

Alphonsus, postquam d. 15 Oct. 1863 simul cum aliis undecim novitiis vota religiosa nuncupavit, illico in studentatum Provinciae missus est, eo tempore in Teterchen constitutum, fortunatum se existimans, quod per biennium fere ibi duce tam praeclaro uti sibi liceret, qualis fuit R. P. Achilles Desurmont. Ordines vero maiores non in patria, sed annis 1870 et 1871 Wittemii per manus Episcopi Laurent recepit, quia belli causa studentatus Gallicus ad tempus Hollandico adiunctus erat. In studiis Alphonsus noster

(1) De hoc eximio Ven. P. Passerat discipulo, validissimo in Badenia, Alsatia, Helvetia missionario, cf. J. B. LORTHIOIT, *Mémorial Alphonsien*, p. 142.

(2) L. c., p. 111.

(3) Ibidem, p. 161.



potius pratico, quam speculativo ingenio excellebat, erat lentus, at sedulus, constans et gravis, semper memor illius paecepti: *Age, quod agis!*

Egressus e studentatu a. 1872, per solos duos annos in Gallia missionarius fuit, domui Insulanae adscriptus, et deinde cum quinque aliis Patribus et quattuor Fratribus in longinquam Pacifici missionem profectus est ibique reliquos 56 vitae annos dedit, nunquam interim, ne ad breve quidem tempus, in caram patriam regressus. Pro sua in discendo assiduitate Hispanicam linguam optime didicit eaque et domi et foris naviter insalutem animarum usus est.

Vix per triennium Cuencae in Aequatore constiterat, cum a. 1877, comite P. Lopez, in affinem Peruanam rempublicam venit ad novam foundationem ibi tentandam. Hoc autem consilium tum ad irritum redactum est, quare iter ad Chilenas plagas versus perrexit. Sex annis (1878-1884), quibus communitati S. Iacobi attributus erat, 50 missionibus interfuit.

Anno 1884 P. Alphonsus Paris, tum 39 annos natus, primum Superior creatus est, et Superior mansit per 25 annos, id quod demonstrat eum qualitatibus huic muneri necessariis eminuisse. Ac primum quidem per 11 annos nascenti communitati Bugensi praefuit ibique opus illud grande fortiter aggressus est, quod supra pag. 92 ss. accuratius descriptissimus, novum scilicet templum magnificentum, in prodigiosi Crucifixi honorem a nostris erectum. Aliud quoque eius meritum supra pag. 105 breviter commemoratum, quod videlicet devotionem erga Matrem de Perp. Succ. in Columbianis cordibus plantavit. Tandem Patri Paris debetur acquisitio praedii nostri (*finca*) ad flumen Cauca siti.

Cum a. 1895 confrater rempublicam Columbiae cum Chilena commutare iuberetur, dolorem vivum sensit, quandoquidem in populo Columbiano, eminenter hospitali et catholico, permultas amicitias sibi comparaverat. At vir obediens mox novas loqui victorias potuit, Santiagensi collegio per duo triennia paepositus. Illo tempore ibi etiam ferme 40 clerici studentes commorabantur; cui studentatui P. Rector Paris in vicino oppido S. Bernardi sedem valde accomodataam et iucundam selegit, obtenta prudenter ab Illmo D. Villafuerte donatione magnifici Seminarii, ibi haud ita pridem extrecti.

Anno 1901 universa Vice-Provincia Pacifici meridionalis, quae tum et Chilenam et Peruanam rempublicam comprehendebat, per tres annos Patri Alphonso Paris gubernanda tradita est. Eam hoc triennio duabus novis foundationibus, *Valparaiso* et *Huanta*, auxit, tertiae, *Los Angeles*, viam paravit.

Nominationibus anni 1904 paeficitur domui Vallis Paradisi recens incertae. Aedificavit novum collegium, nostris usibus valde aptum, eiusque damna gravia post magnum anni 1906 terraemotum statim sanare studuit. Etiam magnifica ecclesiae, cuius effigiem in Analectis (IX, 10 sq.)

videre est, lapidem primarium posuit. In domo Valparaiso subitanea morte amisit fratrem Iulium (1857–1906), zelantem Indianorum apostolum, qui grammaticam et lexicon linguae *quichua* typis mandavit.(1) Tandem Alphonsus in domo Cauquenes (1907–1909) quinque superioratus Iusta ad finem adduxit.

Inde ex a. 1909 P. Paris denuo optimi subditi exempla confratribus dedit per alios 21 annos, quorum quattuor in Valle Paradisi, reliquos S. Bernardi transegit. Primum sat diu, usque ad aetatem 78 annorum, operam missionalem adeo difficilem robusta sua valetudine et voce forti continuare potuit; quod cum tandem facere ei amplius non liceret, assiduus erat in confessionibus excipiendis, sive iuvenistarum nostrorum, sive laicorum ad ecclesiam venientium, sive communitatuum religiosarum. Quo in ministerio linguae Germanicae scientia ei proderat, cum multae Sorores Germanicae, ab Immaculata Concepcione vocatae (*de Mallinckrodt*), ibi inventiantur.

Singulari cum affectu et splendore universa Vice-Provincia dilecti Patris iubilaea celebravit: 15 Oct. 1913 et 8 Oct. 1921 et 15 Oct. 1923, et his familiae festis bis etiam Nuntius Apostolicus interesse voluit. Tali occasione iubilarius e corde depromebat verba pulcherrimos grati animi sensus manifestantia.

Anno 1924 senex octogenarius, at minime annorum pondere curvatus, primum in vita graviter aegrotare coepit. Mirum! Sacramentum extremae unctionis, quod in pervigilio festis Corporis Christi pie recepit, ei sanitatem reddidit. Per alios igitur sex annos confratribus aedificationi esse perrexit, donec sabbato, 8 Nov. 1930, post brevem octo dierum morbum in pace Christi quievit. Post obitum clare apparuit, tum ex magno numero epistolarum ad nos missarum, tum ex multitudine quae funus comitabatur, quanti hic religiosus Alsatinus in Chilena republica aestimaretur.

Quoniam externum vitae cursu enarravimus, etiam internam animi effigiem paucis adumbrare decet. R. P. Alphonsus Paris severioris illius disciplinae, cui olim domi assuefactus erat, tenacissimus mansit, et indignabundus relaxatos recentioris aetatis mores reprobat. Haud minore animi tenacitate conservabat illa vitae religiosae principia, quae in iuventute edoctus erat. Manu propria descripsérat varia opuscula veneratissimi P. Desurmont, eaque meditando legebat ac relegebat et vitae usu familiaria sibi reddere satagebat. Hinc assiduum eius orandi studium. Ipse quondam confessus est in innumeris excursionibus apostolicis quos per Bugensem regionem fecisset, se sine intermissione orasse. Pariter in senectutis insomniis Rosarium Mariale eius solacium erat. Etiam nunc post eius mortem desideratissimus confrater recordationi nostraee passim occurrit lento passu cum

(1) J. B. LORTHIOIT, *Mémorial Alphonsien*, 296.

Rosario per circuitus deambulans vel in oratorio mane ac vesperi stationes Viae Crucis visitans vel etiam in cella aliquam S. P. N. Alphonsi vel P. Desurmont paginam attente legens. Huius venerati viri consilium secutus, semper humiliationum gratiam postulaverat, et se exauditum arbitrabatur, praesertim ultima vitae periodo, cum oculi et aures et memoria magis magisque servitium suum detrectarent et ille, qui per 25 annos ad clavum sederat Superior, humilis subditus vitam absconditam cum Christo in Deo degebat.

Digna sua gravitate cum affabilitate et comitate coniuncta ubique venerationem et amorem sibi conciliabat. Benefactoribus nostris grati memorisque animi sensus manifestare non omittebat. Et intra muros et extra studebat sincera caritate omnibus prodesse, obesse nemini. Tandem, ne longius oratio nostra protrahatur, commemoremus observantiam eius regularem, qua semper et ubique se nostri Instituti columnam exhibuit.

Utinam nunquam tales antiqui moris et disciplinae viri familiae Alphonsianae desint.